ORATIO
De
INITIIS ET PROGRESSU CERTAMINUM NESTORIANORUM ET EUTYCHIANORUM in articulo de persona CHRISTI.

Quam

IN ACADEMIA VVITEBERgensi A. D. 7. Junij anno Christi 1605. publicè recitavit

VVOLFGANGUS FRANZIUS
TH. D.

VVITEBERGÆ,
Typis VVolfg. Meisneri, Anno M. DC. V.

ILLUSTRISSIMO ET GENEROSISSIMO PRINCIPI, AC DOMINO, Domino

AUGUSTO,

Duci Saxoniæ, Landgravio Thuringiæ, Marchioni Misniæ, Postulato Administratori Episcopatus Naumburgensis, pro tempore Academiæ VVitebergensis Rectori Magnificentissimo, Domino suo Clementissimo,

S. P.

ILLUSTRISSIME ET GENEROSISSIME Princeps, Domine clementissime, non incongruenter ab antiquitate, prudentiæ, vitæq; religiosissimæ laudibus celeberrima hæresin cum peste conferri solitam fuisse, quisquis saltem ecclesiæ novi federis historiam attentius evoluere cœperit, tanquam rem amplius minimè dubitandam mihi as-

sentietur. Quod enim pestilentia facit in corpore, illud in anima hæresis pari ratione hominibus effectum reddere consuevit. Illa citissimè cor, partem corporis nobilissimam petit, & hanc officinam & arcem vitæ graviter occupat, putridâ venenosâq; lue, halitibusq; malignis afflat, affligit & interimit, neq; hoc contenta dum unum conficit, interim vel alios mille simul inficit, simulq; interficit; hæc innumerabiles animas, præsertim eorum, qui novitatis cupidi sunt, auribusq; & affectibus pruriunt, falsis opinionibus celeriter imbuit, & maximam stragem edit. Cujus rei insigne specimen ex narratione de Nestoriana & Eutychiana cacodoxia, longè lateq; disseminata, & diutissimè propagata Celsitudo Vestra inclyta Clementissimè percipiet.

Præterea cum quamplurimi sint, qui ex Borealibus Europæ climatibus solummodo ecclesiam Christi hoc tempore colligi putant, ex eadem historicâ narratione, sub Turcico jugo, in Græcia in Asia, in India, in Armemia, & alibi publicum esse Evangelii ministerium, quanquam multis hæresibus, addo multis aliis nævis alicubi defœdatum, intelligent. Ac ad Clementem VII. legati preti vel pretiosi Johannis, regis Æthiopū, cui 40 Africæ regna parent, emissi formam doctrinæ & ceremoniarum plerarunq; Christianam esse demonstrarunt. Nihil

dicam de novi orbis incolis hoc elapso seculo ad nomen Christi conversis.

Tempore Selymi præter unum millionem 333. millia Christianorum sub Turca computarunt, teste Magino in tabulis Geographicis, exceptis privilegiatis & qui Sultano Ægypti parebant.

Extat etiam oratio Chytræi de ecclesiis in Græcia, Africa, Asia, sub Turca, sub presto Johanne &c. Ac omninò peculiarem commentationem hæc consideratio requireret. Cum autem tam amplissimas ecclesias tam multiplicibus nævis, hæresibus & idolomaniis laborare videamus, assiduis votis rogandus est nobis DEUS, *ut pruritatem doctrinæ cælestis in hisce angulis Europæ, diutius nobis indulgeat, nec unquam sicut in oriente & meridie, septentrionem nostrum tam infinitis depravationibus defœdare permittat.*

Vestræ Celsitudini inclytæ orationem meā, animo subjectissimo nunc tēporis offerre volui, ut de caussis jam judicatis penitius cogitandi occasionem haberet. Sicut autem Inclyta domus Saxonica inde à juventute mea infinitis munificētiæ summæ monumētis sibi me totum obstrictum & devinctum obtinet, ita inprimis posthac ipsi studiorum meorum fructū, omniaq; subjectissimæ fidelitatis obsequia ad amussim & pro virili probare conabor.

Ut igitur hanc inscriptionem nominis sui Celsitudo vestra inclyta clementissimo vultu & animo accipiat, meaq; studia suo illustri patrocinio complectatur, humilima & subjectissimamente precor. Dominus noster Jesus Christus Celsitudinem Vestram inclytam veræ fidei in Deum, sapientiæ & fortitudinis spiritu indies magis magisq; ad harum ecclesiarum & politiarum corporale ac æternum emolumentum benignissimè corroboret, diutissimeq; salvam & incolumem præstet. VVitebergæ A. D. VII. Juniicum pridie ante annos 58. Carolus V. ex Pistricio pago exercitum suum versus Salinas Saxonicas transtulit, & Cives VVitebergenses Illustrissimo Saxoniæ Duci & Electori Mauricio juramentum fidelitatis seu homagium præstiterunt. Anno à nato CHRISTO 1605.

Celsitudinem Vestram inclytam
subjectissimi animi verà reverentiâ colens

VVolfg. Frantzius Th.D.

ΣΥΝ ΘΕΩ.

SI quis eſt, qui ſummos principes & alios præcellentes viros in Eccleſia & Repub. nõ agnoſcit columnas imperiorum, patres, curruſq; Iſraëlis, & aurigas ſeu equites ejus, qui precibus, laboribus & conſiliis ſanctis ſalutem & ἰσοχημονίαν publicam operentur & tueantur, ideoq; illorum obitum, præſertim præmaturum, vel parum portendere vel mutationum & calamitatum nihil ſecum trahere, non ſupputaverit: is eâdem ſtupiditate poſt concuſſas à Simſone columnas, nihilominus ſolarium, in quo principes cum innumera multitudine Philiſtinorum de hoſte capto cum exultatione triumphabant, ſalvum conſiſtere non potuiſſe, non cogitabit. Longè melius de his exiſtimantes Iſraëlitæ Aaronem, unum ex ducibus præſtantibus mortuum per triginta dies continuos magno ejulatu deplorarunt. Romani quoq; cum ad Cannas, Apuliæ vicum, omnes Romanæ ſpei vires perdidiſſent, ſenatores triginta, nobiles trecentos, equitum tria millia, quingenta, præter pedeſtrium militum quadraginta millia, ubi Hannibal tres modios annulorũ,

2. Reg. 2. v. 12. *Iud. 16. 26. 29. 30.* *Num. 20. v. 29.*

lib. 4. ut numerat Oroſius, ex occiſis equitibus detractos, Carthaginem miſit, adeò curis, angoribus, *Liv.* & acerba ſolicitudine diſcruciabantur, ut Cereris ſacra illo anno prætermiſſa fuerint. *Bonfin. dec. 2. lib. 10. ſub. finem.* Ludowico item Hungariæ rege defuncto per triennium pullis veſtibus uſa fuit Hungaria. Non omninò falſos eſſe metus ejuſmodi, veterum hiſtoriæ comprobant, & domeſticorum exemplorum largiſsima nobis ſuppetit meſsis. Qui enim ex adultiorum ſunt claſsibus, illi longiſsimam texere poſſunt catenam calamitatum, quæ in terris Saxonicis principum, primorum religionis reformatorum, & ſimilium conſiliis & ſcientia præpollentium in Eccleſia, & Academiis obitum exceperunt. Non libenter mali aliquid nunc ominari volo, cum annis paucisſimis hæc academia profeſſores amiſit non paucos, nec gregarios, ſed egregios duces, qui in acie ipſi primo loco conſiſtere, ſed exercitum ſcholaſticum & Eccleſiaſticum magna cum auctoritate, magnoq; cum emolumento defendere, educere & introducere ſolebãt. Quin potius Deum ſuſpiriis intimis comprecor, ut impẽdentes ruinas benigniſsimè avertat, vulnera Eccesiæ ſuæ ipſe ſanet, & ſuperſtites in Eccleſia & repub. principes & Coryphæos veræ fidei, fortitudinis, caritatis & ſapientiæ ſpiritu in-

duat-

duat & regat, ut pro virili, religionis ruinæ, capita sua subdere possint, & non nisi ea, quæ ad pacem & restaurationem sunt Jerusalem omni studio spectare & procurare velint.

Post pugnam & cladem Cannensem, cum omnes ferè principes cecidissent, ideoque omnis Italiæ salus desperata esse videretur, & multi nobiles de deserenda Italia deliberarent, Scipio interveniens de patria non deserenda ipsos jurare coëgit. Mox igitur Q. Fabium Maximum, & M. Marcellum Reipub. clavo præfecerunt, illum cautum, providum, temperantem, cunctantem, hunc acrem, vehementem, fidentem & promtissimum, quorum interdum alterutrum, interdum utrumq; adversus hostes emiserunt. Et constat, nullo tempore majorem fuisse virtutem, & paulò pòst exoptatiorem secutam felicitatem Romanæ civitatis, quàm tunc, cum funditus ruitura esse putabatur, adeò ut Hannibal confiteretur, se timere Fabium ut præceptorem, & ab hoc prohiberi, ne quid adversi Romanis inferret, Marcellum verò ut pugilem & adversarium, & metuere, ne quid plagarum ab hoc ipse acciperet. Eo igitur pacto, Fabium Clypei nomen, Marcellum ensis encomiũ reportasse ex Posidonio tradit Plutarchus in Marcello. Utinam semper liceret ejusmo-

Plut. in Marcello.

di felices facere permutationes, nec unquam opus esset litare lacte, modò vina & thura non deessent. Sed quemadmodũ in bellis ad summas angustias & fermè internecionem deducto exercitu arbores succidunt, ut truncos in terrorem hostium armis instruant, quod successu non contemnendo fecit Decebalus, ut etiã Cyrus incluso Crœso Sardibus ad mœnia arbores erexit, quib. simulacra persico more vestita circumdedit, ita sæpenumero quæ stulta sunt hujus mundi, seligit Dominus, ut confundat sapientes, & vocat piscatores, ut convertat Imperatores. Quanquã igitur virium mearũ angustissimã suppellectilem cum antecessorum divite cornu copia, virtute, rebusq; gestis, quæ iisdem, quib9 Europæ limites regionibus & terminis cõtinentur, cõparare mihi fas nequaquã est, cum tamen æternus & præpotentissimus Deus suffragiis & voce laudatissimi Senatus academici, annuente & jubente Illustrissimo Electore Saxoniæ, Christiano II. Domino nostro clementissimo, me ad labores scholasticos & Ecclesiasticos in hanc omniũ studiorum almam matrẽ revocet, quod unicum mihi suppetit, omne tempus, õnes cogitationes, omnem diligentiã in gloriam Dei, in amplitudinem hujus academiæ, in dignitatem studiorum Theologicorum, in veritatem fidei salvificæ ad-

Cuspin. Prom. in. l. 3. cap. 8.

verſus veteres & novas omnium claſsium corruptelas unà cum digniſsimis Dominis collegis cõferam. Inprimiſq́; illud effectum dabo, ut τῆς ὀρθοδοξίας, fide, aſsiduitate, & omnibus humanitatis officiis, pientiſsimæq́; ſolicitudinis cura præclariſsimum & nõ niſi ex verbo Dei erutum Beatiſsimi Lutheri depoſitum ex hoc ipſo loco ſartum tectum mea quoq; voce & opera ad poſteros tranſmittatur.

Cumq́; in conſuetudine perpetuò ſervata, inſtitutiſq́; majorum omni laude celeberrimorum hoc ſit poſitum, ut operarum publicarum primordia ab oratione aliqua ſinguli & univerſi capiãt: ſi nunc de origine & progreſſu certaminum Neſtorianorum & Eutychianorum de perſona Mediatoris noſtri hiſtoricam enarrationem, quãtum æqui Jovis benignitas memet amabit, dilucidè explicatã, & † ad hũc uſq; diem deductã repeterem, & quaſi ſub unum intuitum propõerem, hoc tempore nõ alienum eſſe judicavi. Quãvis verò de Neſtorianorũ & Eutychianorũ tumultuoſis & moleſtis diſputationibus hinc inde à magnis & multis Patrib. & Hiſtoricis memoriæ proditã deſcriptionem paucis concludere nihilominus ſatis prolixi laboris opus futurũ eſt, tamen ut mihi portum ſolummodò legenti, & ſumma ſaltem rerum veſtigia ſequenti, & ad pleraque velut ἐν παρόδῳ vix

† *ab anno Chriſti circiter 420.*

digitum intendenti, clementiſsimè & benigniſsimè breviſsimi temporis uſuram largiamini, quibus debeo ſubjectiſsimis & omnibus precibus peto, TE quoque ô rex regum, & domine dominantium, JESU Chriſte, cujus gloria & cauſa nunc agitur, ut ſapientiæ tuæ ſpiritu cogitationes intellectus & verba linguæ meæ imbuas, omnia ad tuæ potentiæ laudes, ad veritatis inveſtigationem & propugnationem, ad opinionum cum verbo Dei pugnantium refutationem dirigas, per te ipſum intimis ſuſpiriis ſuplex adoro.

Geneſ. 26. 14. 15. De Philiſtinis, inter quos Patriarcha Iſaacus agebat, ſacræ referunt literæ, quod ei poſſeſsionē pecudum & boum, famulitiumque multum, & alia benedictionis divinæ ornamenta inviderint, & ut fortunæ nimiū ipſi propiciæ curſum, quantum poterant, inhiberent, inprimis omnes puteos, quos foderant ſervi Abraham patris ſui, obturaverint, terraq; compleverint. Eadem ratione poſt omnium hominum memoriam nihil magis quā tum de pleriſq; omnibus fidei ſalvificæ articulis veram ſententiam pervertere; tum potiſsimum lumini doctrinæ de ſalvifico fonte & ſalvifica aquæ, quæ in bibentibus fit puteus & fons aquæ ſalientis in vitam æternam obſtruere, & ad hoc potiſsimum ſignum ἀντιλογίας omnis generis

Ioh. 4, 14.

Luc. 2, 34.

hære-

hæreticorum tela Satanas dirigere constitutum habuit. Ex Philastrio viginti & octo hæreses ante adventum Domini in carnem inter Hebræos à Doctoribus passim enumerantur, quas in aliis quidem capitibus maxima opinionum dissensione plurimum discrepasse, in hoc verò unico de Messia puro homine & politica ratione gubernaturo, conjunctis consiliis: quasi cõspirasse omnes, in descriptione Jerusalem Heidenius annotat. Ex hoc cœno postea sub Novo Testamento feces suas hauserunt Simon Magus, Cerinthiani, Ebionæi, Theodotiani, Artemoniani, Pauliani, Photiniani, & quam infiniti alii, qui Jesum hominẽ tantum fuisse, mordicus pugnarũt. In illorum castris omninò Nestorianos quoque egregiè ac reipsâ militasse, licet verbis duas in Christo naturas profiteri sint soliti, patefacere magni negocii non est. Anastasius enim quidam, Nestorii Episcopi Constantinopolitani Presbyter, vel ut alii volunt, Dorotheus quidam Episcopus, Symbolorum Apostolici & Nicœni phrases, cum dicimus Jesum Christum filium patris unigenitum, ex Maria Virgine natum, in dubium vocare, & indignum majestate divina putare cepit, si Deus ex virgine natus crederetur. Nolebat igitur Mariam cognominari θεοτόκον, matrem Dei, sed saltem

Præsu Brixiensis circa annum Christi, 380.

lib. 3. c. 3.

Socr. lib. 7. c. 32. Cyrill.

Origo hæreseos Nestorianæ, quæ Anastasiana vel Dorotheana dici debuisset.

χριστοτόκον, matrem Mesſiæ vel Salvatoris perhibēdam eſſe pronunciabat. Sive Anaſtaſiū, ſive Dorotheū hæc contentionū ſeminæ pro concione ſpargentem Neſtorius Samoſateni nepos præſens nō modò nō objurgavit, ſed è cathedra deſcendētem in conſpectu totius Eccleſiæ ſuaviter & amāter excepit, & ad communionē myſticam admiſit. Hæc fuerunt initia turbarū Neſtorianarū, ex quibus genuinus ſcopus controverſiæ inter orthodoxos & Neſtorianos liquidius colligi poterit. Maxima cū cōtentione Filii Dei in aſſumpta carne, ſeu, quod idem eſt, Chriſti nativitatē ex Maria ſecundum carnē impugnabat, & ſolā humanitatē ex ea, non verò filiū Dei in aſſumta & perſonaliter ſibi unita natura humana, hoc eſt, quod iterū idem eſt, non Chriſtum ſecundū carnem natum ex virgine proclamabat Neſtorius. Illud evidentiſsimè conſequitur ex eo, quod in Synodo Epheſina priore cū multi divinitatē Chriſti aſtruerent, ut inquit Socrates, Neſtorius hac uſus fuerit exclamatione & blaſphema voce, Ego, qui bimeſtris aut trimeſtris factus eſt, Deum haud quaquam nominarim. Orthodoxi verò adverſus Neſtoriū & ejus aſſeclas, ipſum filium Dei in aſſumta & perſonaliter ſibi unita carne, hoc eſt, & quod perinde valet, Chriſtum ſecundum carnem ex Maria natum eſſe con-

Suid.

Genuina Neſtorii opinio de perſona Chriſti. 1.

ſtanter

2

ſtantèr credebant, & maſculè defendebant. Ab uno deventum fuit ad alia, unde ſecundum Damaſcenum, quæ infirmitatis opera ſunt in Chriſto, veluti dormire, edere, bibere, lacrymare, ea omnia Filium Mariæ operatũ eſſe ſine Filio Dei, quæ autem egregia & miraculoſa ſunt opera, illa Filium Dei in eodẽ Chriſto operatũ eſſe ſine Filio Mariæ ſenſit. Orthodoxi vice verſa ſecundũ Gelaſiũ demonſtrabant, quod quicquid Deitatis eſt, illud habeat Filius hominis, & quicquid humanitatis eſt, habeat Dominus majeſtatis, adeò ut Divinitas non paſsibilitate, non cruciatione, non adflictione, non vulneratione paſsibilis ſit, ſed eâ dignatione, qua ſuſcepit hominẽ, ſibiq; univit, ſuum faciat, quicquid hominis eſt, quia homini tribuit, quicquid Dei eſt, ita tamẽ, ut ab omni paſsibilitate prorſus intemerata permaneat. Breviſsimè hoc alterũ concludendo, iſtud quæſitũ fuit, Utrum Filius Dei in aſſumta & perſonaliter unita carne ſit paſſ9, an verò ſola humanitas ſit paſſa. Illud retinebãt orthodoxi, hoc Neſtorius amplectebatur, ſicuti verba Neſtorii in epiſtola ad Cyrillũ tomo 2. Conciliorũ hæc evincunt: In quo naturarũ quidẽ laudabã diviſionem ſecundũ humanationis & Deitatis rationem, & earũ in uni9 perſonæ conjũctionem, & Deum Verbũ ſecunda ex muliere dicerent

In lib. de duabus naturis in Christo adversus Eutychen & Nestoriũ.

Formalia verba Nestorij.

non

non eguisse nativitate, & passionis in capabilem profiteri Deitatem. Confitebatur quidem Nestorius duas naturas in una persona, ut etiam personalem unionem, id quod ex verbis ipsius jam jam recitatis palam est, sed in hoc peccabat, quod personalem conjunctionem duarum naturarum definiit assistentiam τοῦ λόγου pleniorem in carne Christi, quam in aliis sanctis, quòd nimirum majore efficatia & operationis effusione in Christo, quàm in ullo sanctorum inhabitet Filius Dei seu λόγος, Id expressè sibi vult vox Nestorii, quam recenset Gregorius, Non invideo Christo Deo facto, quia si volo, & ipse possum fieri. Quanq; igitur Christum verum Deum & hominem in una persona, unionem item personalem, verbis apertis docebat Nestorius, tamen quia unionis personalis consectaneum, idiomatum communicationem in persona non agnoscebat, & nullo modo idiomata naturæ humanæ etiam in unitate personæ Deo tribuenda esse concedere volebat, eo ipso necessariò & reipsa Christum purum hominem, & duas in Christo personas constituebat. Id quod in libro de Conciliis, & Ecclesia, alibi eruditè nobis explicatum reliquit B. Lutherus. Habuit multos sibi faventes & astipulantes Episcopos, inprimis Johannem Antiochenũ, qui collecto concilio

Cur sequatur divulsio naturarum in Nestorianismo.

Quàm latè propagatus sit error Nestorij.

ortho-

Quin immò Constantinopoli progressum virus istud adhuc vivo Nestorio celerrimè totius Orientis regiones & Ecclesias, inprimis in utraque Armenia pervasit, infecit, misereque corrupit & confecit. Post mortem Nestorii Episcopus Hierapolis in Ægypto, & alius in Cilicia cramben eandem recoxerunt, qua Monachos quoque in Syria maximoperè delectatos fuisse, ex monumentis historicis accepimus. Quàm igitur latè Nestoriana dogmata excurrerint, ex amplitudine regionum æstimare fuerit facilimum; quod præter tractum Constantinopolitanum in Græcia, in Syria, in Ægypto, ubi olim viginti mille urbes fuisse Maginus testatur, in Cilicia, sub inspectione Antiochena, & in utraque Armenia, regionibus profectò amplissimis grassata fuerint. *lib.7.c.31.*

Cur plæq; hæreses Christi personam impugnarint.

Subinde aliæ atque aliæ proruperunt & repullularunt hæreses, quemadmodum Theodoretus 76. Augustinus 88. hodierni longè plures enumerant, quæ subinde iterum evanuerunt cum libris, adeò ut non nisi in libris Catholicorum aliquam ipsarum mentionem extare videamus. Fuerunt, ut psal. 120. verbis utar, quemadmodũ sagittæ potentis acutæ, cum carbonibus juniperorum, & non absimiles rumusculis & fabulis, quæ initio pervolant integrã regionem, & omnia

præſertim plebeiorũ ora, tanquã ignis per ſarmenta & per juniperos, mox verò deflagrat. Unde Auguſtinus ſuper illud Pſal. 57. Ad nihilũ devenient, tanquã aqua decurrens, Nõ (inquit) vos terreant, fratres, quidã fluvii, qui dicuntur torrentes, decurrit aqua, ad tempus perſtrepit, mox ceſſabit, diu ſtare non poſſunt. Multæ hæreſes jam emortuæ ſunt, cucurrerunt in rivis ſuis, quantum potuerunt, decurrerunt, ſiccati ſunt rivi, vix eorum memoria reperitur, vel quia fuerunt. Mundum aliqui non à Deo, ſed ab angelis, aliqui à 365^to. cœlo factum, quidam animas ex DEI ſubſtantia, quidam mille annos poſt reſurrectionem mortuorũ in terreno regno Chriſti libidinibus & voluptatibus aſsignatum iri, quidam Judam honorandũ aſſeruerunt, quod quantum generi humano paſsio Domini profutura eſſet, præſciverit, & quæ ſunt alia. Hæc in antiquam oblivionis ſilvam cum auctorum & aſſeclarum nominibus & monumentis jamdudum abierunt.

Hæreſes aliquot antiquæ.

Sicut autem non niſi ſumma petit livor, ut ex excellentiſsimorum inſectatione & calumniis ſparſis de maximè ſuſpiciendis, famam & judicii ſingularis exiſtimationem expectare poſsit, ita quoque longum valere juſsis opinionibus de rebus momẽti levioris, potiſsimũ ſingulis ſeculis

ad hunc

ad hunc uſque diem veterum erroneas de Chriſto DEO & homine in una indiviſa perſona depravationes ingenia curioſa & levia, vanæ nimirum gloriæ & ambitionis mancipia in Eccleſiæ agrum revocare & latiſsimè diſſeminare auſa fuerunt.

Itaque quod adhuc circa annum CHRISTI 1200. in terra ſancta & inter Saracenos, & in India Neſtorianos duraſſe, ex Jacobo de Vitriaco & Phriſingenſi Centuriæ Magdeburgenſes annotant, mirum eſt, ſi cui mirum videbitur. Sicut autem in media Turcia, in Græcia, in Aſia, in Armenia hodiè publicum Euangelii CHRISTI miniſteriũ eſſe, & homines pios & rectè ſentientes multò quàm in Galliis, Hiſpaniis & aliis Europæ regnis, tutius & trãquillius verſari, Chytræus ſuper Apoc. 7. poſterorum memoriæ mandavit: ita etiamnum hodiè in utraq; Armenia & in Syria magno numero Neſtorianos inveniri, multorum peregrinationibus in terrã ſanctã ſuſceptis erudimur. Inter alia ex deſcriptione itineris Hieroſolymitani ante annos abhinc quinquaginta per Melchiorẽ Seidlitz Sileſium nobilẽ, cõfecti, capite ſexto, inter diverſas ſectas Hieroſolymis Neſtorianos mõſtratos fuiſſe apparet. Forſan etjam Italorũ, Germanorũ & aliorũ plurimos ex viſitatione

Neſtoriani in India & Aſia.

Adhuc hodie Neſtoriani in Syria.

ſepulchri Domini ſuperioribus ſeculis hac lue correptos domum rediiſſe, & ſemina ejuſdem in Europam ſparſiſſe, non malè aliquis ſuſpicaretur. Atq; hæc ſunt initia & progreſſiones atq; incrementa certaminum Neſtorianorum ad noſtram uſque ætatem deducta: de noſtro ſeculo in ſpecie plura paulò poſt adjicientur. Pulcerrimum autem eſt, quod Auguſtinus divinam providentiam ideò multos diverſi erroris hæreticos permittere judicat, ut, cum inſultant nobis & in terrogant nos ea, quæ neſcimus, vel ſic excutiamus pigritiam, & divinas ſcripturas exactius noſſe cupiamus. Ita igitur comparatum eſt cum ingenij humani fervore in incautis, interdum etiam non doloſis, quod Charybdin declinaturi rectè in Scyllam incidant, ubi quàm verè cum Poëta exclamare licet, Dum vitant vitia ſtulti in contraria currunt. Transſubſtantiationem Pontificiam Berengarius ulciſcens impatientius, in alterum extremum, quod panis & vinum duntaxat ſint figuræ, incidit. Victorini Strigelii nimis audaces de Liberi Arbitrii viribus concluſiones diſſoluturus Matthias Flacius Illyricus, in ſcopulos non minus periculoſos de peccati ſubſtantia, præceps ruit. Majoriſmum, quod bona opera ſint neceſſaria ad ſalutem refutaturus Ambſdorffius, bona opera

Cur Deus diverſas ſectas exoriri permittat.

Berengarius.

Flacius.

Ambſdorff.

perni-

perniciosa ad salutem pronunciavit. Calvini Ethnicum & Homericum fatum de paucorum electione absoluta & Stoica expugnaturus Huberus, *Huberus* Omnes omnes omnes promiscuè in Christo electos esse arbitratur. Eadem lapsuum proclivitate Nestorianā duarū in Christo naturarū dissolutionem improbans & rejiciens Eutyches, Constantinopolitanus Presbyter Monachus jam senex, sub Theodosio juniore, quicquid à verbo, ut Augustinus de ipso memoriæ prodidit, nostræ proprietatis receptum est, divinæ tantummodo asscribit essentiæ, & ita turpissimam utriusq; naturæ confusionem invexit, inque Apollinaristam & Manichæum abivit.

Genuina Eutychis opinio.

1\. Eutychiani monstri corpus si analysi anatomicæ subjecerimus, hæc præstigiosorum dogmatum partes continere animadvertemus. Nimirum carnem Christi non ex substantia, sanguine & semine Virginis productam, ideoq; nequaquá nobis consubstantialem esse, sed in cœlo ex singulari divina materia conditam, cœlitus in Mariam descendisse, ac per Mariam, tanquam per rimam & canalem ad nos pervenisse somniabat. Deinde 2. in humanitate ex divinæ essentiæ quasi semine quodam facta ipsam Deitatem passam esse delirabat. Præterea ante conjunctionem personalem, 3.

vel ut alii recensent, ante glorificationem duas quidem fuisse naturas in Christo, postea verò minus prævalentem alterã ex divina materia conditã, ab altera divina increata & magis prævalente superatã & in hanc conversam, & absorptam, & ita assumtã prorsus deificatã contendebat. Deniq;
4. inter sese cõfusis naturis, ipsarũ quoq; proprietates nõ amplius distinctas mansisse, sed prorsus cõfusas, alterius abolitas, inq; alterius naturæ idiomata cõversas disseruit. Cũq; Nestoriano somnio diluendo totũ deditũ Eutychen arbitrarentur esse, iccircò sub principiũ ex partibus suis clarissimos aliquos Ecclesiæ doctores, inter quos & Eusebiũ nominant Historici, numeravit, qui veritate divina tandem accuratius patefacta hominem deseruit.

Straverat autẽ jam antea huic quoq; cõmento viã Simon Magus, omniũ hæreticorũ cõmunis præceptor & patriarcha secundũ Irenæũ. Is .n. magiæ exercitationib. suspiciendus seipsum dicebat esse Messiam, seq; hominis figurã duntaxat assum- *August. de hæres.* sisse, & passum in Judæa putatum esse, cum non esset passus, sicut idem impudenter decipiebat, se inter Judæos apparuisse quasi filium, in Samaria quasi patrẽ descendisse, aqud reliquas gentes quasi S.S. advẽtasse. Qua deceptione Mahometus tandẽ se Messiã esse gloriabatur, quem Judæi expectent venturum. Et avorũ patrumq; memoria David

Georgius se Dei filium appellabat, Christi doctrinam imperfectam, suam perfectā dicebat; Christum item missum, ut Davidi Georgio viam præpararet, se quoque judicaturum tandem mundū.

Post Simonē Magum præter Eutychen Menander eundem errorem errabat cum Valentinianis, Cerdonianis, Manichæis, Helchesytis, Apollinaristis & aliis quā plurimis. Post Eutychē toto oriente dominata fuit opinio illa in Græcia, in Ægypto, donec aliquod Orientalis imperii vestigiū inter Christianos reliquū mansit. Ipsi quoq; Oriētis Imperatores eadem imbuti & infecti gravissimum in Ecclesias occidentales odiū conceperūt, quod Eutychianismo, soboli Constantinopolitanæ fenestrā & portā aperire & requiē suavissimā concedere nō vellent. Hanc etiā causam esse cōjicim9, quod, Dei beneficio, Ecclesiæ Germāicæ, Romanis Pōtificib. inde à VVitekindo usq; ad Fridericū III. Saxoniæ Electorē, addictiores liberæ permāserūt. Tandē verò sub initiū Imperii Turcici Cōstantinopoli & è vicinia hæresis ista magna ex parte exulare coacta fuit. Et ut Chytræ9 in expositione stat9 Ecclesiarū Asiæ mōet in Ægypto & vicinis locis adhuc viget. Et hæc quoq; de origine & progressu dissidiorū Eutychianorū in Oriēte fermè usq; ad seculū nostrū. Nūc proximi elapsi seculi cōtentiones de persona Jesu Christi dispiciendæ restant.

Carol. Sigon. lib. 2.

Quam latè Eutychianismus excurrerit.

Vbi hodie Eutychiani.

De controversia inter Lutherum & Carolostadium

Quàm necessariò & rectè Monachorum plurimas delirationes taxaverit, ac in doctrina præsertim de pœnitentia consolationes salutares mõstrarit D. D. Lutherus, commentari animus mihi nunc nequaquam est. Ut autem religionis & Ecclesiæ sub primis auspiciis Divi Lutheri non levem inureret maculam Satanas, locum ex permissione divina circa Christi annum 1521. reperit in secta quorundam, ex qua Muncerus & Enthusiastæ exierunt, qui cum Deo sibi colloquium esse, & sese mandatum habere prætendebant, ut gladio Gedeonis uterentur & impiis omnibus è medio sublatis novam mundi politiam cõstituerent, in qua non nisi pietatis & innocentia laudibus insignes rerũ potirentur. Cujus autem farinæ genius hominum istorum ingeniis abusus fuerit, judiciũ à fructibus facere cuivis promtissimum fuerit. Cum istis copias suas conjungebat, sententiã ipsorum laudabat, & spiritus profani phantasias æmulabatur, ut in epistolis Philippi ad Camerarium nomen ejus depingi solet, A B C D. Andreas Bodenstein Carolostadius Doctor, hîc VVitebergæ eo ipso tempore, cum Pontificis & Imperatoris Romani fulmina & vim metuens Lutherus in Pathmo, arce nimirum Wartenberg propè Eisenach in Thuringia delitesceret.

Eo igitur anno hîc VVitebergæ in templo parrochiali D. Andreas Carolostadius, Frater quidem Gabriel ordinis Augustini, & ludi oppidani moderator M. More eò furoris diabolici progresſi audacter pro concionibus disputarunt, in cœtibus Christianorum non ferendas esse litteras ullas, non scholas, non academias, Patrem cœlestem rudisſimis quibusque genuinum sacrarum scripturarum sensum & intellectum sine his per singulares visiones patefacere. Itaq; tunc scholæ oppidanæ ædificium conversum fuit in forum panarium, ac in templo parrochiali non amplius conspecti sunt symphoniaci pueri immò nec alii, qui simpliciore more plebi canerent, sed incubuit muneris illud uni ex Diaconis & Æditiuo, quemadmodum bonus ille Fröschelius, Archidiaconus olim Ecclesiæ VVittebergensis, qui statim post turbas illas in hanc academiam ex Lipsica profectus, quasi αὐτόπτης testis in narratione libro de sacerdotio præfixa refert. Plurimi ex aliis locis in hanc academiam à parentibus ablegati studiis & academiis longam & plurimam salutem dixerunt, & ad suos reversi vel ad architecturæ, vel metallicæ, vel statuariæ, vel plasticæ, vel pictoriæ, vel sutoriæ, vel similium manuarium artium tractationem sese adjunxerunt. Carolostadius

Omnium primi au- ctores cer- taminis de person- Christi VVitteber- gæ.

cum suis asseclis civium tabernas frequentabat, atque à sartoribus, cerdonibus atq; tonsoribus difficilium scripturæ locorum interpretationẽ petebat, quod non doctis, sed simplicissimis illam pater cœlestis aperire dignetur. Bipenne statuas ex templo deturbabant, & in cœna nihil nisi spiritum, ideoq; merum panem & merum vinum esse acerrimè proclamabant.

Ne igitur tota reflorescens Ecclesia pessum iret, néve academia nuper aperta penitus concideret & dissiparetur, turbulentis & seditiosis molitionibus Hieronymus quidem Schurffius & Philippus Melanchthon, sed tunc temporis nondum ad illud summæ auctoritatis culmen evectus, graviter sese opposuerunt.

Sed cum istorum veteratorum furori cohercendo non sufficerent, non sine salutis & securitatis suæ jactura, relicta VVartenbergensi arce Lutherus summa cũ festinatione huc rediit, omniaq; in pristinum locum restituit, Carolostadio sponte in vicinum pagum Segren ad rusticos, patris sui cœlestis revelationibus alumnos magis dignos ad tempus divertente. Mox Luthero Carolostadius cum Fratre Gabriele & ludimoderatore M. More inter alia realem corporis & sanguinis Domini in sacra cœna cũ pane & vino benedicto

præſentiam hoc argumento, quod unũ corpus nõ ſit, nec poſsit uno tempore in pluribus locis præſens eſſe, quã in uno, penitus extorquere voluit.

Hoc anno, hoc momẽto, hac occaſione Lutherꝰ provocatus ad certamen de Perſona Mediatoris in libro aduerſus cœleſtes prophetas Caroloſtadio reſtitit, & ſcopulos tũ Eutychianos, tum Neſtorianos pulcrè declinare jubet. *Quoties enim* (inquit & docet) *de homine Christo prædicatur, illum Deum eſſe, tunc naturarum non tollitur diſcrimen, ſed unio arctiſsima ſignificatur, quæ talis eſt, ut ubi homo eſt, ibi propter unionem ſit Deus, & vice verſa, ubi Deus, ibi homo, Deus quidem in homine corporaliter, homo in Deo propter gratiam unionis perſonaliter. Ratio regni Chriſti* (inquit) *à fanaticis non intelligitur, qui in omnibus locis eſt, & teſte Paulo omnia implet, & de corpore Chriſti rectè dicitur, id in cœna eſſe, nõ quidem cũ obſervatione & circumſtantiis loci, tẽporis &c. alligatũ, ſed voluntate Chriſti ac promiſsiõe, quæ eſt liberrima & certiſsima.*

Liber Lutheri adverſus cœleſtes prophetas.

Ac ut τὸ ῥητόν, in verbis Cœnæ Dominicæ adverſus Caroloſtadii φλυαρίας de præſentia corporis unius non niſi uno in loco, accuratius & acutius defenderet, ex unione perſonali carnem hunc majeſtatis divinæ communicatæ gradum obtinuiſſe, pluribus aſſeruit, ut ſalvis eſſentialibus

proprietatibus, modo non terreno vel ſenſibili, ſed cœleſti & dextræ Dei congruente, citra omnem expanſionem ubiq; præſentiſsima eſſe queat, ubicunq; λόγος præſens eſt. Cum autem ſanam & nequicquam Eutychianam doctrinam repudiarent Caroloſtadiani, & in eorum ſententiam Zwinglius, Oecolampadius & ſocii concederent, ac cõjunctis operis & viribus pugnarent, ſeſsionem carnis Chriſti ad dextram DEI de loco definito accipiendam, & ab illa dependentes majeſtatis & gloriæ Chriſti gradus non niſi finitos intelligendos eſſe: In confeſsione ſua, quod verba Chriſti adhuc firma conſiſtant, Lutherus adhuc acrius reſpondit, & hæc reapſe Neſtoriana deliria eſſe latius commonſtravit.

Liber Lutheri, quod verba Chriſti ſtent immota.

Duravit conflictus ille uſque ad finem vitæ Lutheri, qui à ſententia ſua nullum unquam feciſſe divortium viſus fuit. Poſt mortem Lutheri annorum aliquot quaſi pactæ induciæ ſunt, ſed mox & de perſona Chriſti & de Cœna Domini bellum quaſi extinctum utrique excitarunt & renovarunt vehementius: id quod factum eſt non longè à fine vitæ Philippi, & in huncuſque diem utrinq; magna cum vehementia continuatur. Caroloſtadio, Zwinglio & Oecolãpadio in pleriſq; ſucceſſerunt Petrus Martyr, Bullingerus, Danæus,

Qui reſtaurarint certamen de perſona Chriſti poſt Lutherum.

Calvi-

Calvinus & Calvini confeſsionẽ amplexati Calviniani quivis: Lutheri lampada curſu accipiente potiſsimum Brentio & aliis Lutherana auſpicia ſecutis Theologis.

Antequam verò ad reliqua tranſitum faciã, aſsiduum Satanæ aſtum & luſum, quod eandem in mundo fabulam, tantũ mutatis perſonis, ſubinde tam bellè & tam egregiè ludere novit, non ſatis mirari poſſumus. Neſtorium olim debellaturus Eutyches in errorem contrarium & extremum non minus putidum incurrit. Dum Caroloſtadius, Zwinglius, Oecolampadius & ſocii illorum ſub initium repurgatæ doctrinæ Neſtorianiſmi ſemina in Eccleſiam reportant, ne quid fabulæ deſit, etiam Eutychianiſmum eodem tempore in orbem Chriſtianum Satanas reduxit. Ecce enim Caſparus Schwenckfeldius, nobilis Sileſius, qui inſtar Caroloſtadii divinos raptus & apparitiones jactabat, atq; ex Enthuſiaſtica phantaſia divinitus etiam ſeſe vocatum eſſe ad ſtudium tractãdi cœleſtem ſcripturam comminiſcebatur. Inter alia humanam naturam in Chriſto creaturam eſſe negavit in ſcriptis ſuis, quæ anno 1526 adverſus pontificiam & Evangelicam religionem in publicum emiſit. Itaque in libro de divina majeſtate humanitatis Chriſti docet, *Chriſti humani-*

De Eutychianiſmo noſtri tẽporis.

Schwenckfeld.

Christi humanitatem post ascensionem non esse creaturalem, sed supercreaturalem, & ipsum Christum etiam ratione humanitatis esse verum Deum. In Epistolis paſsim aſſerit talem deificationem humanitatis in Chriſto, ubi humanitas, id eſt, caro & ſanguis Chriſti nunc per ſuam glorificationem in perſona Domini, cum verbo Domini in vitam & eſſentiam divinam eſt unita, & hodie ambæ naturæ in gloria ſunt, id quod Deus eſt, ſubſiſtunt in una eſſentia, gradu & poteſtate in cœlo, ita ut Chriſtus ſit corporatus Deus ſecundum utramq; naturam, unius eſſentiæ, unius gloriæ & majeſtatis. Quin & apertè Chriſtum de Maria carnē non aſſumſiſſe profeſſus fuit.

An non hinc Anabaptiſtæ & Eubionitæ aliqui recentes ſuarum opinionum fundamentum aliquod petiverint, cuivis ex confeſsionibus ipſorū dijudicandum committo. In Colloquio certè *Memnon.* VViſmarienſi Memnon Simonius Phriſius pugnavit, *Christi corpus ex patris ſubſtantia cœlitus* *Servetus.* *delatum in uterum virginis perveniſſe.* Et Servetus lib. 2. de Trin. *Carnem Christi eſſe divinam, ac cœleſtem, ac ex patris eſſentia genitam voluit.*

Schwenckfeldii diſcipulos adhuc hodiè iſtorum deliriorum patrocinium ſuſcipere, ex fide *Hoſmannus* dignorum relatione accipimus. Hoffmaniſtæ,

à Melchiore Hofmano Propheta ad Belgas misso sic dicti, Verbum ipsum mutatum fuisse in carnem dixerunt, & verbum non assumsisse carnem, ideoq; ipse propheta Hofmanus, qui Argentorati anno 1532 in carcere periit, exclamabat, *Maledicta sit caro Mariæ.* Hæc autẽ omninò Eutychianas hæreses esse, nemo, qui eas cũ Eutychis hypothesibus, superius in theatrũ productis conferet, quod confido, in contentione ponet.

Verum enim verò cum in Europæ regionibus passim Lutherani & Calviniani cominus & eminus toto corpore cum hasta & scuto bellum gerere enitantur, & Lutheranos Nestorianismum Calvinianis, Calvinianos Eutychianismũ Lutheranis objicere quotidiè audiamus, de utraq; classe animis, nequicquã studio temerè judicandi temeréve notandi carbone, aut ignem gladio fodiendi, aut frigidam suffundendi affectis & cõmotis, sed pacis Ecclesiæ & gloriæ Dei cupidissimis sine omni amarulenta, verborum acritate & petulantia apertè simpliciterq; videbimus, & omnib. cordatis & piis, addo tranquillitatis ecclesiasticæ amantissimis, & quorum vel pro Lydio lapide judicium fuerit, censendum committemus.

De nostri seculi controversiis.

Ex duobus igitur certaminibus, in quæ orationis partem hanc divisimus, primum illud, quod

I. Vtrum Lutherani jure insimulentur Eutychianismi.

quod Lutheranos attingit, Eutychianorum & Lutheranorum dogmatum ratione vel ſimili vel
1. diſsimili decernetur. Quod igitur Chriſtus de ſe ipſo affirmat, Filiũ hominis de cœlo deſcendiſſe, antequam ipſe in cœlum poſt ſolutum λύτρον aſcendebat, Eutyches carnem Chriſti in cœlo ex cœleſti virtute, efficacia & operatione formatam, proximè ad Spiritus ſancti naturam accedere, nec ſubſtantia ſuâ commune aliquid cum noſtra corporum ſubſtantia habere ſenſit.

Quid ad hæc Lutherus? In libello de Chriſto Jeſu vero Judæo & ex ſemine Abrahæ nato, graviter diſſerit, quod *neceſſe fuerit eum filium hominis fieri, & è muliere naſci. Si enim (inquit) ex terra factus eſſet, ſicut Adam, aut ex coſta creatus, ſicut Eva, non fuiſſet verum ſemen Abrahæ, Chriſtus verò verum & genuinum ſemen Abrahæ fuit. Nã ex carne & ſanguine virginis haud aliter, atq; alii filii hominum, tametſi modo naturæ incognito corpus aſſumſit. Et caro virginis fuit naturale ſemen ad corpus Chriſti. Et ipſa quoq; erat vera poſteritas & ſemen Abrahæ.* Hæc D. Lutherus, cujus fidem tam Calviniani, quam Lutherani hac in parte ſine tergiverſatione vel ideò complectentur, quod fructum ventris Mariæ, in ipſa generatũ, & ſemen mulieris, nõ aliquid extra ipſam ex nihilo, vel ex

præexiſtente divina quadā materiā in cœlo creatū Chriſti corpus ſacræ literæ expreſsè confirment.

Poſthæc mediatorem in humanitate ex divina eſſentia genita, & ita Deum ipſum paſsioni obnoxiū fuiſſe, Eutyches audacter inculcabat. E diametro cum his pugnat Lutherus in libro de Conciliis & Eccleſia, cum ſcribit, *Non in ſua natura Deus mori poteſt. Poſtquam autem Deus & homo unitus eſt in una perſona, rectè & verè dicitur, Deus mortuus eſt, quando videlicet ille homo moritur, qui cū* DEO *unum quiddam ſeu una perſona eſt. Non igitur nudus homo tantum* (inquit Epitome Formulæ Cōcordiæ) *pro nobis paſſus, mortuus & ſepultus eſt, ſed talis homo, cujus humana natura cum Filio Dei tam arctam ineffabilemq́ unionem & cōmunicationem habet, ut cum eo una facta ſit perſona.* Et addit, *Quapropter Filius Dei pro nobis eſt paſſus, ſed ſecundum proprietatem humanæ naturæ, quam in unitatem divinæ ſuæ perſonæ aſſumſit, ſibiq́ eam propriam fecit.* 2.

Præterea, inprimis poſt glorificationem à divina natura humanam deificatam, ſeu abſorptā, abolitis etiam proprietatibus carnis, ſicut paululum aquæ à vino generoſiſsimo in vaſe magno abſorbetur, quaſi extenditur & ita vaporatim in naturam vini abit, credere nos jubebat Eutyches. 3.

Lutheri confeſsionē iterum ſecuta Epitome Formulæ Concordiæ, anathematis fulmine ferit profitentes, *quod divina & humana naturæ in unam eſſentiam commixtæ ſint, & humana natura in Deitatem mutata ſit, id quod Eutyches furenter dixit:* ſicut eadem credere, & docere, & confiteri mandat, *Utramq́; naturam retinere ſuas proprietates eſſentiales, ut quæ alterius naturæ proprietates fieri nequeant.* Si quis ergò Lutheranos cum Eutychianis in eodem ludo edoctos adhuc obſtrepere perrexerit, is eodē modo aquilam noctuæ, apē cicadæ, felem Minervæ ſimilem faciet.

Objectio 1. Sed heus, inquies, annon Lutherus exæquat naturas, cum in majore Confeſsione ex arctiſsima & indiſſolubili unione neceſſariò conſequi exiſtimat, ut, quocunq; loco divinitatem collocas, non poſsis excludere humanitatem, niſi perſonam ſolvere velis? Immò quidni? ſed nec ipſa divina natura corporali, terreno & expanſo, ſed cœleſti & divino, Deique dextræ conveniente modo, ſeu, ut Auguſtinus loquitur, in ſeipſa non diffuſione locali, ubique eſt, Hunc modum imperſcrutabilem & ineffabilem cum nemo explicare poſsit, omnes tamen vera fide apprehendere debeant, utique etiam corpus Chriſti in perſona Filii Dei ubique præſentis, qui ipſi non ex parte, ſed totus

eſt

eſt conjunctus, ad hanc majeſtatem exaltatum ubique præſens ſtatuimus, non per extenſionem, non per immutationem aliquam carnis, ſed modo nunquam perſcrutabili & effabili in hac vita. Qua de re alibi plura.

Nondum autem ab Eutychetis opinione Lutheranos ſatis vindicaſti, iterum inquiet aliquis, quod phraſibus aliquos διαῤῥήδην Eutychianis uſos eſſe, vel pueris perſpicuum fuerit. Aliqui enim ex Lutheranis Chriſtum factum eſſe verum Deum, & illud, *Verbum caro factum eſt*, nihil aliud ſignificare, quàm quòd Filius Dei filium hominis ita aſſumſerit, ut effundat in eum & communicet ipſi omnem ſuam majeſtatem, adeoque faciat eum verum DEUM, item aliam eſſe divinitatem communicantem, aliam communicatam, item in incarnatione divinam naturam effundere omnem ſuam majeſtatem in humanitatem, item humanam naturam factam receptaculum omnium cœleſtium & divinorum beneficiorum, ſcripſerunt, quæ ſunt phraſes Eutychianæ, & olim jamdudum totius Eccleſiæ calculo condemnatæ. Etſi verò difficile non eſſet, pleraſque phraſes illas ſano ſenſu interpretari & defendere, præſertim cum effuſionem Objecti- 2.

Spiritus ſancti ſuper omnem carnem etiam Prophetæ uſurpent: tamen ſi quæ aliæ durioris conditionis ſunt, Formulæ Concordiæ præfatio, & Apologiæ caput 4. eas ſuas non facit, ſed rejicit, & ad præſcriptum Formulæ corrigere præcipit.

Quot igitur paraſangis Eccleſiæ Lutheranæ ab Eutychetis opinione abſint, & quo jure ſcabiem Eutychianam ipſis affricare adverſarij auſint, ex his brevibus cuivis ſive indocto, ſive docto ex conſcientia, ut loquimur, dijudicandum relinquo. Corrigat ergò Bucerus, quæ in Johannem commentus eſt, cum inquit, Sunt hodiè, quos infelix contentio, alioqui minimè malos homines eò torſit, ut ob adamatum nimium dogma præſentiæ corporalis Chriſti, in pane Euchariſtiæ, affirment, Chriſtum nequaquam hominem eſſe, ut nos ſumus, neque ejus rationis, cujus nos, corpus habere, ſed quod ſimul atque à verbo aſſumta humanitas fuit, facta ſit divinitas, cœperitq́; eſſe ubique. Hæc ille.

Utinam verò in aliis eccleſiis reformatis omnes adeò ſtudiosè fugerent ſcopulos Neſtorianos, ſicut Eutychianos execrari & deteſtari conſue verunt: Utique pace & tranquillitate Eccleſiæ frueremur exoptatiſsima, & inter docentes

paſsim

paſsim locorum jucundiſsimæ fraternitates conſpicerentur. Sed de hoc ipſo ut videamus, ordo poſtulat.

II. *Vtrum Caluiniani de Neſtorianiſmo accuſari poſsint.*

Et initiò Neſtorius nunquam divinitatem Christi, nunquam etiam unionem duarum naturarum hypoſtaticam in controverſiam rapuit: id quod ſuperius verbis ipſius teſtatum fecimus. Sed neque nos Caroloſtadium, vel Zwinglium, vel Oecolampadium, vel Calvinum & Calvinianos aut turpiter abnegatæ divinitatis Chriſti, aut nefariè denegatæ unionis duarũ naturarum hypoſtaticæ, aut, quoad perſonæ rationẽ, cujuſdã dualitatis argumentis & rationib. introductæ & aſſertæ διαῤῥήδην reos peragere volumus. Deinde quantum 2.
ex Gelaſio in libro adverſus Eytychen & Neſtorium proſpicimus, Neſtorius in partu nudum hominem ex Maria natum eſſe, qui poſtmodum in Deum fuerit provectus, hoc eſt, cui poſtea divinitas per aſsiſtentiæ unionem acceſſerit, contendebat. Sed quamvis poſt partum hominem in Deum provectum eſſe, hoc eſt, ſi ita interpretari licet, divinam & humanam naturam perſonaliter uniri largiebatur, tamen quia nudũ hominem pro nobis cruciatibus poſtea ſuppoſitum fuiſſe diſputabat, cujus conditionis unionem perſonalem confinxerit, etiam iis, qui nondum ex

ephebis Theologicis excesserunt, haud ignotum erit.

Perspicuitatis gratia terminis, ut vocant, Theologicis & longo tempore receptis istud exprimam. Non nisi verbalem unionem naturarũ, qua humanitas per assistentem λόγον gestatur & adjuvatur, sicut etiam fit certa proportione in sanctis, & verbalem inde dependentem idiomatũ communionem, quâ ea, quæ infirmitatis sunt, sola operetur caro sine λόγου concursu, quæ verò gloriæ, solus operetur λόγος sine carnis concursu, Nestorius ipse retinebat. Neq; n. cũ orthodoxis realẽ illam tolerare poterat, qua quicquid Deitatis est, habet humanitas, & quicquid humanitatis est habet Deitas, ea dignatione, qua suscepit hominẽ, hoc est, ut clarius dicatur, qua omnes gloriæ operationes, seu ut vocant, omnia gloriæ opera in Christo per unionẽ & propter unionem tam λόγῳ quàm carni personaliter, & reipsa sunt communia, licet quod etiam in unione proprietates distinctæ maneant, à divina natura, ut ita loquar, originaliter & principaliter proficiscerentur: qua itẽ omnes infirmitatis operationes, seu ut nominant, omnia infirmitatis opera, tam λόγῳ quàm carni in unione, per unionem & propter unionem personaliter & reipsa sunt communia, quia una

utriusq;

utriusq; est persona, licet hæc ab humana natura principaliter & originaliter descenderent.

His quàm similimæ sunt aliquot Calvinianorum de Christo assertiones. In libro adversus Chemnitium ita sentit & scribit Danæus : *sicut uxor viri consularis aut senatorii vocatur femina consularis & senatoria, quæ tamen nullo senatoris aut consulis munere, aut illius parte fungitur, ita caro Christi dicitur adoranda, excitasse mortuos &c. tantum per appellationem, seu honoris verbalis communicationem, quia in carne Christi nulla est alicujus qualitatis attributio aut distributio realis.* Ibidem *blasphemiam* esse censet dicere, humanam naturam Christi eodem loco simul existere cum divina natura, cui hypostaticè est unita. Martyr *Deum omnipotentia sua efficere non posse exclamat, ut unum corpus sit in pluribus, quàm uno loco.* Beza *corpus & sanguinem Christi tam procul à cœna removet, quantum distat Oriens ab Occidente, & summum cœlum ab infima terra.* Danæus item pessimo & blasphemo ore tam putidã evomuit propositionem, quàm putidam nullus vel Eubionita vel Arianus nostro tempore evomuit, *Carnem Christi non plus quàm baculum Mosis ad edenda miracula contulisse* : item, *eos, qui adorant carnem*

Applicatio

Danæus.

Martyr in dial. cõtra Brent.

Beza in epist. lib. 1.

Contr. Chemnit.

Christi, de ipsius Dei ore maledictos esse, quòd confidant in homine.

Si igitur his omnibus & ambabus quidem manibus calculum suum applicare voluisset Nestorius, ut adjicere minimè gentium, minimè hominum & minimè temporum detrectasset, utiq; Calvinianorum unio personalis in Christo & communicatio idiomatum inde profluens, ab unione & communicatione idiomatum Nestoriana nihil differet. Nihil autē facilius, quàm solam Christi divinitatē adorandam, solam divinitatē omnipræsentem, solam divinitatem excitasse mortuos, solam divinitatem edidisse miracula, solam divinitatem in cœna præsto esse, Nestorius admisisset. Quisquis ergò solam verbalem communicationem & unionem propugnat, is in Nestorianorum castra totus jammodò transiit.

Porro duas naturas in una persona in corde suo retinere, & à Synodi Ephesinæ patribus maxima injuria affici, sibi visus fuit Nestorius, quod errorem de separatione duarum naturarum in Christo, & inde secutis duabus personis in Christo, deque duob. Christis ipsi asscripserant. Cum verò realem idiomatū appropriationem negarit, omninò quàm omptimâ consequentia opiniones illas eidem imputarunt. Neque patres διαῤῥήδην se-

parationem naturarum à Nestorio doceri unquã scripserunt, sed ex sententia Nestorii de sola nata & passa carne nihil nisi divulsionem expectandam esse, ostenderunt. Nestorius *nitebatur* CHRISTUM in duas personas dividere, inquit B. Fulgentius in sermone de Epiphania, deque innocentũ nece & muneribus Magorum, qui iisdem munerib. magorũ confunditur, cum videat magos nõ alia Deo, alia homini, sed uni Deo homini eadẽ munera obtulisse suppliciter. Vincẽti⁹ quoq; Lirinensis Gallus in libro adversus profanas novationes idem recenset, quòd Nestorius dum sese duas in Christo substantias distinguere *simulat*, duas repentè introducat personas, & duos velit esse filios, & duos Christos, unum Deum, alterum hominem, ideoque Mariam non θεοτόκον, sed χριστοτόκον esse dicendam, quia scilicet ex ea non ille CHRISTUS, qui DEUS, sed ille, qui homo erat, natus sit, alter enim fuit Christus Deus, alter homo, alter increatus, alter creatus, alter impassibilis, alter passibilis. *Fulgẽtius.* *Vincẽtius.*

Idem de Nestorio Gelasius enarrat, & annectit, divisis naturis statim negari, naturam alterutram totum suum facere posse, quod est alterius. *Gelasius.*

Utut igitur duas in Christo naturas ἀχωρίστως

οὐσίας non esse, esse autem ὑποστάσει, quæ illi cū natura divina communis est.

Antonius Sadeel de veritate humanæ naturæ in Christo, post citata Basilii verba, Humanitati divina communicant, *humanam naturam plenam esse* dicit *omni majestate, quatenus ipsius naturæ cōditio & veritas ferre possit. Ac* (addit) *quod miratur aliquis, ex ipso Dei verbo statuendum est, in persona Christi naturam divinam τοῦ λόγου ipsius naturæ proprietates communicare sive κοινωνεῖν humanæ naturæ.* Hæc ille. Cum igitur hîc non agatur de tribus capellis, de lana caprina, de barbis ovium, sed de re maximi momenti ad gloriam filii Dei & æternam animarum salutem spectante, per Deum rogo, & per salutem suam tum vos auditores, tum ipsos realis idiomatum communicationis hostes, annon ingenua & propria Calvinianorum confessione, & Lutheranorum phraseon de reali communicatione idiomatum approbatione confirmationeq; ab Eutychianæ hæreseos lepra prorsus absolvantur, & mundi Lutherani pronuncientur, & annon hac ipsa discessione à phrasibus de nuda verbali communicatione, adque phrases & sententiam Lutheranorum accessione facta apertè testentur, negata idiomatum communicatione reali seipsos, Calvinianos, Nestorianismi suspicio- *Antonius Sadeel.*

nem & accusationem effugere non posse, ut ex animo pio & cordato judicium cum fide sacrosancta conjunctum interponant. Utinam verò vana & aliena interpretatione, quod semel dederunt, non iterum mox, ut faciunt, everterent. Quod autem hisce ipsis Calvinianorum non Physicæ confusioni, quam prorsus exterminatam cupimus, sed reali & sobriæ idiomatum Communicationi testimonium sinceritatis quoad phrases perhibetur, Lutheranis non potest non jucundissimum accidere & gratissimum.

De Philippo Melanchthone.

Philippum Melanchthonem quod attinet, verè principem eruditionis per totam Germaniam, is in articulo de cœna Domini tandem cum Tigurinis, adversus Lutherum sentire & facere cœpit. In altero verò capite de communicatione idiomatum reali, in articulorum Bavaricorum epilogo mentem suam exponit adversus eos, qui sub finem vitæ Ph. controversiam inter Lutherum & *Brentius.* Zwinglianos de majestate carnis Christi agitatam renovabant, cum inquit, quorundam tantam petulantiam esse, ut fingant duplicem Communicationem idiomatum, aliam dialecticam, aliam physicam, quæ est confusio naturarum. Sed si verum est, quod ab ipso *Peucerus.* Peucero in medium nar-

ratur, calumniosè doctrinam reliquorum de idiomatum reali communicatione apud Philippum Melanchthonem malevoli traduxerant, eique persuadere voluerāt, hanc esse Brentii & aliorum mentem, quòd Christus non naturâ verus homo fuerit, sed φαντασίᾳ tantùm talis apparuerit. Id quod ipsis nunquam in mentem venerat. Itaq; mirum videri non poterat, si in initio moti à Brentio certaminis in Physicam idiomatum communicationem, quam & nos damnamus, fuit invectus. Alioquin ipsumMelanchthonem evidentia harum disputationum itidem vel invitum in sententiam Lutheri protraxit, cum inter communicationem idiomatum, inter locutiones de officiis, & non de essētia seu de discrimine mittentis& missi, interq; locutiones de diversa consideratione Christi humiliati & gloriosè regnantis discrimen sæpius facit. In confessione Augustana inquit, *Ascendit ad cælos, ut sedeat ad dextram Dei, id est, perpetuò regnet ac dominetur ōnibus creaturis, sanctificet credentes in ipsum (misso in corda eorum S.S. qui regat, consoletur & vivificet eos)* ac defendat adversus diabolum ac vim peccati. Aliquid hoc est, in quo tamē ipse nō semper acquievit, sed post mortem Melanchthonis mutuis velitationib. veræ sententiæ de hoc capite, ita sunt erutæ & illustratæ, ut Aug. Conf.

carnē in λόγῳ omni gloria & majestate divina plenissimam, citra tamen sui abolitionem, & solummodò propter unionem personalem naturarū in Christo factā esse vel pueri sciunt.

Conclusio. Quemadmodū igitur in secundo seculo Ecclesias Germanicas illustri præconio exornavit Irenæus, quod nunquam aliter crediderint, aliterúe tradiderint, quàm Apostoli, eorumq; discipuli, Athanasius item & Hilarius Episcopos Germanicos fratres suos nominarunt: Ita veritatem de Filio Mariæ perspicuam nunc quoque firmiter amplecti, unicè exosculari, sinceram divulgare & posteris commendare pientissimum fuerit.

Precatio. Cum verò hoc sine auxilio & benedictione Domini fieri nequaquam possit, te sancte sanctorū, Domine Dominorum, Deus Deorum, æterne pater æterni filii tui Domini nostri JESU Christi, te æterne Fili, qui es sapientia patris, cujus deliciæ semper fuerunt esse cūm filiis hominū, te S. Sancte, ex toto pectore & ex omni, licet parva fidei scintilla, invocamus, ut tu sis in medio nostri, mánsionemq; tibi apud nos facias, nobis ostendas faciem tuam, ut universam Ecclesiá tuam, singulosq; docentes & discentes, gratia Spiritus tui salutaris affles, eosq; adversus omnes portas inferorum defendas, & inter nos Ministeriū & vocem doctrinæ

tuæ

tuæ incorruptæ adversus ōnis generis hæreticos conserves, & per spiritum tuum in nobis inchoës & opereris pacem bonæ voluntatis, ut cognoscamus diem visitationis nostræ, Non intres, ô sancte Domine Deus, cum servis tuis in judicium, sed sis propicius nobis peccatoribus, ex cœlo humilia respicias, custodiasq; politias, tanquam nidulos & alveolos, qui præbent hospitia Ecclesiæ adversus barbarica latrocinia, ne unquam fiant stabula & mapalia immanium Turcarum & aliarum gentium, quæ te non noverunt, quæ te oderunt: Stes tu ipse in excubiis pro filiis populi tui, & in his ruinis & confusionibus imperiorum, & calamitatibus postremi seculi dexteram Imperatoris nostri virtute & potentia tua armes, & digitos militum ipsius, qui verè bella Domini gerūt, doceas ad bellū: Serenissimū Electoré nostrū, Dominū CHRISTIANUM secundū, cū Serenissima cōjuge Serēissimaq, matre vidua, Illustrissimos principes, Dominum JOHANNEM GEORGIUM cum Illustrissima conjuge, Dominum AUGUSTUM, Duces Saxoniæ, Dominos & Magistratus nostros summos & clementissimos, spiritu pietatis & scientiæ gubernes, spiritu fortitudinis & prudentiæ sustineas, spiritu consilii & timoris Dei dirigas, omni benedictionum genere prosequaris, maje-

statemq;

ſtatemq; ipſorũ, Eccleſiæ & reipub. diu florentiſſimam,& totius regionis ſtatum incolumẽ pacatũq; conſerves ac tuearis:Ponas fines noſtros pacẽ, & adipe frumenti ſaties nos, ne permittas ſemina venenata ſpargere diabolos in aërem: ſuper õnes in hac Academia docentes &diſcentes effunde ſpiritũ tuum, ungas ipſos oleo tuo, quo tu unctus es, ſicut à te Chriſto Chriſtiani facti ſunt: Conforta ſeras portarum noſtrarũ, Spiritus tuus bonus deducat nos in terrã rectam, ut ad viſibilem aliquãdo tui conſuetudinẽ evocati fiamus ſocii agminis beatorũ angelorum, & hominũ, ubi verè bonum eſt eſſe in gloria ineffabili, ubi æternum erit Sabbathum, ubi tù vis eſſe, ubi vis eſſe miniſtros tuos, ubi gaudium noſtrũ erit perfectum, ubi te Patrem cum Filio & S.S. de facie ad faciem intuebimur, ubi te in virtutibus tuis & ſecundum multitudinem magnitudinis tuæ mente & voce ab æterno in æternum laudabimus.

ERRATA.

Præfat: A. 3. lin.13. lege puritatem, *l.20.* indicatis. *Fol.2.l.14.* deeſt, & Eccleſia & academiis & aulis. *l.19.* & pro ſed. *f. 4. l. 8.* Perſico. *f. 8. l. 3.* ſemina. *f. 10. l. 23.* alicubi. *Ibidem prorſus in fine hæc addantur,* orthodoxos anathemate percuſſerunt, ut eſt apud Socratem. *Reliqua benevolus lector ipſe corriget.*

S.S.THEO-

S. S. THEOLOGIÆ STUDIOSIS IN ACADEMIA WITEBERGENSI S. P. P.

SEmper honorificis sermonibus, inde post natum hominũ genus, egregiam de conditionis Ecclesiasticæ hominibus auctoritatem suam declarare, & præclaris rationibus eorundẽ dignitatem ad omnem memoriam commendare, solitos fuisse omnes istos, quos tanquam meliorum & nobiliorum in genere humano partiũ studiosos & defensores, religionis, virtutis, Deiq; timoris vis & excellentia gravior præ reliquis multis conspicuos reddidit, adeò etiam, ut olim pleraq; & præcipua sacra non nisi reges fecerint ipsi, argumentis & exemplis infinitis explicari posset. Hoc quoque est illud, quod vel Adamo, vel proximè sequentibus Patribus nihil quicquam antiquius, nihilque sanctius fuisse conjiciunt pientissimi, & in Scripturis historiisque experientissimi viri, quàm ut liberos, nepotes, pronepotes de Creatione, de Peccato, de antiquo dracone, de morte corporali & æterna, de inferno, de Semine benedicto, de vera & Salvifica justitia, de Sacrificiorum fine, de Angelis, de tentationibus, de consolationibus in cruce, de vita æterna, deque similibus viva voce plus satis erudirent. Unde absque dubio Patrum, Patriarcharumque Ecclesiæ, tanquam doctorum Theologiæ, nomina in Novi Testamenti usum promanarunt, licet vetustissimorum Patrum & Patriarcharum Veteris Testamenti conciones non in libris, sed in cœlo sint scriptæ: unde tempus illud etiam vacuum appellatur, quòd non libri, sed vivi sermones ab ipsis in posteros sparsi & traditi fuerint, inquit Lutherus in Chronico. Melchisedecum, tanquam Noachi filium primogenitum Sem, regem simul & sacerdotem sacra nobis proponit Scriptura, omnesq; primogenitos ex stirpe Noachi sacerdotiis præfuisse, Deoq; victi-

mas immolasse usq; ad Aaronis sacerdotium,& olim non nisi hoc potissimum primogenituræ jus Esavum fratri suo vendidisse, ex Hebræorum traditionibus ad Evagrium Hieronymus scriptum reliquit. Ad quem modum in Asmonæam tandem familiam principatus in regno & sacerdotio per annos 131. pervenit, ubi Aristobulus primus, Alexander primus, Hircanus secundus, Aristobulus secundus, sacerdotium & regium munus simul & semel sustinuerunt. Ex æmulatione sanctorum hominum apud ethnicos idem usu venisse apparet, cum Homerum laudat Athenæus, quòd principes Græcos nunquam nisi libatione & precibus prius ab ipsis peractis, mensis accumbere vel discedere solitos fuisse describit, & quòd ex Cæsaribus C. Julium auguratus simul & Pontificatus, Galbam item triplicis sacerdotii munus gessisse accepimus. Quam verò in existimatione omnium sacerdotum tuenda certatim constantes & firmos sese præbuerint optimi quiq; exemplo unico contenti erimus. Cum paulò pôst animam agere necesse haberet M. Aurelius Imp. Rom. filio Commodo inter alia,quæ Imperatorem amabilem reddere valerent, sacerdotum venerationem commendat, ipsumq; cogitare jubet, Diis inservire, templa colere, sacerdotes honorare, non adiaphora sed necessaria esse, & addit, tam diu Romanorum gloriam floruisse, quàm diu ad cultum Deorum & templorum solicitudinem omnem contulerunt, tum quoq; Punicum regnum Romanæ Reipub. fortitudine & opibus haud impar, victum concidisse, quando Deorum, sacerdotum & templorum cultores diligentes esse desierunt. Etsi verò omnium horum nihil omninò quicquam sine maxima cura & magna caritate ordinis nostri loquor,attamen nihil in eam sententiam accipi velim,quasi ministerio nostro potestatem politicam vindicare in animum induxerim. Hoc saltem mihi est propositum, quo etiam intueri, & quo cursum suum dirigere sententia verborum meorum debet,ut omnes ætatis & pietatis nervos contendant singuli, quò tanto beneficio non abutantur, sed grati & memores pro illo sese Deo præbeant, ipsiq;, ut deinceps quoq; in nos posterosq; nostros gratiæ & benignitatis donum illud conferat, precibus assiduis supplicent. Verbum Domini sunt rotæ illæ Ezechielis, quibus nos rudes de terra in cœlum elevamur. Atq; ex exercitiis docendi & discendi

veritatem cœleſtis doctrinæ præcipuam cultus divini & magnam partem conſtare, Chriſti teſtimonio nō modò nobis confirmemus, ſed etiam perſuadeamus, cum inquit, In hoc clarificatus eſt pater meus, ut fructum plurimum adferatis, & efficiamini diſcipuli mei, itē Pauli Apoſtoli illo, quo ſe Evangelium ſacrificare ſcribit. Quæ cum ita ſint, poſt Deum Patrem Domini noſtri Jesu Chriſti, Illuſtriſsimorum Saxoniæ Electorum & principum beneficiis & meritis ter maximis & quam plurimis ſeſe obſtrictum omnis populus Chriſtianus agnoſcet, quod ipſi pro innumerabilium hominum æterna ſalute ſeſe huic Academiæ, B. Lutheri repurgantis Chriſtiana dogmata officinæ, ex vero veræ pietatis zelo quaſi obligarūt, & eam hactenus velut pupillam oculorum ſuorum cariſsimā habere, ac ut in ea præter juris, medicinæ & philoſophiæ doctrinam inprimis incorrupta religio ſonaret, indeq́; quàm latiſsimè ſpargeretur, omni paterno amore & ſingulari cura eniti voluerunt. Cumq́ue Sacroſanctæ Trinitatis Senatuſconſultum Illuſtriſsimo & potentiſsimo Principi & Domino, Domino Christiano II. Duci & Electori Saxoniæ, Domino noſtro clementiſsimo commiſerit, ut ipſe nunc videat, ne quid Academia hæc detrimenti capiat, ut ſuſceptum reip. graviſsimæ munus expleat, ac gloriæ & ſaluti publicæ ſatisfaciat, & ſic tandem ad laborum & curarum fructus exoptatiſsimos perveniat, anteceſſorum ſuorum omni laude cumulatiſsimorum veſtigiis eximiis unicè ſibi inſiſtendum eſſe judicavit. Illud documentis nec obſcuris, nec paucis, tum aliis, tum hoc quoque palam facit, quòd cum Schola hæc breviſsimi temporis decurſu Theologiæ Profeſſores aliquot eximios & magni nominis amiſerit, Academici Senatus Ampliſsimi de me judicio honorifico & nominationi, ut appellant, clementiſsimè ſubſcripſit, meq́: in numerum Sacroſanctam Theologiam docentium vocari & cooptari juſsit. Quanquam verò non mediocris eruditionis, ſed antiquioris & perfectioris virtutis & auctoritatis hominib. provinciam hanc deſponſandam fuiſſe omnes fatebuntur, & anguſtiæ imbecillitatisq́; meæ conſcientia ſatis convincat, tamen auxilii divini fiducia, & Academici ſenatus digniſsimi benevolentia fretus, quātum quantum hoc eſt, humeris meis onus imponi patior, Deumq́; rogo, ut pro miſericordia ſua in domo ſua palmam diu florentem,

& fructus multos ferentem, me benigniſsimè faciat. Quòd igitur bonum atq; fortunatum publicis ſtudiis S.S. Theologiæ jubeat eſſe æternus Deus, ad operarum mearũ exercitia pedetentim & propius acceſſum faciam, illiſq; ab oratione de origine & progreſſu certaminũ Neſtorianorum & Eutychianorum de Perſona Chriſti, ad quam auſcultandam ſingulos amanter invito ad D. VII. Junii. h. 9. principium capiam, & in ea inprimis hoc ex commentariis hiſtoricis, aliiſq; argumentis breve diſpiciam, Utrum Calviniani omnem realem Idiomatum & operationum Deitatis & humanitatis in Chriſto communicationem proſcribentes à Neſtorianiſmo abſolvi, & Utrum illi Lutheranos verbali prædicationi & Phyſicæ confuſioni nuncium ex conſcientia mittentes, realem idiomatum & operationum Deitatis & humanitatis communionem amplexantes, Eutychianiſmi reos peragere poſsint. Orationem diſputatio publica de Perſona Jesu Chriſti, diſputationem initium prælectionum ſuo tempore, quod affixa ſchedula ſignificabitur, Deo volente & juvante excipiet. Utque hæc omnia gloriæ Dei, utilitati ſtudiorum publicæ, & quàm plurimorum ſaluti benè proſpereq; ſeſe habere poſsint principia, Deum per Chriſtum mediatorem noſtrum ardentiſsimis ſuſpiriis precor. B. B. V. V. P. P. A. D. 2. Junii, Anno Chriſti 1605.

VVolfgangus Franzius
Th. D.

FINIS.